

§ fin. 15. h. t. ubi Pontifex ex eo, quod quis non spoliaverit, nec mandaverit spoliari, nec spoliationem ratam habuerit, pronuntiat, in questione illa interdictum *Unde vi* eam non habere. Atqui in illo, qui rem a dejectore seu spoliatore invasam acquisivit, etiamsi eam scienter receperit, nullum horum trium intervenit; ergo nec contra eum potest intentari interdictum *Unde vi*.

24. *Solvitur fundamentum prioris sententiae.* — Nec obstat cit. c. *Sæpe*, h. t. Cum enim expediat jura juribus concordare, et eorum correctiones, si fieri potest, evitare, c. *Cum expediat*. 29. de *Elect.* in 6; hinc dicendum, quod Pontifex in cit. c. *Sæpe*. 18. h. t. non intenderit, spoliatis contra tertium detentorem rei spoliatae concedere interdictum *Unde vi*: (hoc enim pugnat contra cit. l. *Cum a te ff. de Vi et vi armat.* imo et contra d. c. *Cum ad sedem*. h. t.); sed quia non multum interest quoad periculum animæ, injuste detinere, ac alienum invadere, solummodo voluit Papa providere de novo remedio recuperandæ possessionis, quod appellant *Conditionem*, ex c. *Sæpe*. de *Restitut. spoliat.*, de quo mox plura. Nam hoc ipsum satis denotat ly «Sancimus» (hoc est, de novo constituimus) quod utitur Pontifex cum concilio generali in cit. c. *Sæpe*. n. t., ac notat Abbas ibid. n. 8. eo præsertim, quia per tale remedium et sufficienter providetur spoliatis, et præcavetur periculo animæ tertii scienter rem spoliatam detinentis. Ac per hoc patet ad rationem prioris sententiæ num. 22. allatam: negatur enim minor. (ADNOTATIO XLV).

## § II.

DECLARANTUR ALIA REMEDIA SPOLIATORUM  
IN SPECIE.

25. *Cætera remedia recuperandæ possessionis, non dicuntur interdicta; et cur?* — Cum præter interdictum *Unde vi* dentur plura alia remedia spoliatorum, seu recuperandæ possessionis, quæ superius num. 3. jam sunt enumerata: viso de interdicto *Unde vi*, oportet alia quoque breviter declarare. Solum nota cum Maranta part. IV *Speculi aurei*, dist. 7. num. 29, citante Bartolum, Alexandrum, et alios in l. *Rem quæ nobis*. ff. de *Acquir. possess.* quod cætera ejusmodi remedia recuperandæ possessionis, non dicuntur interdicta (interdictum enim est actio in factum prætorum, hoc est, a prætore inventa;

estque unicum recuperandæ possessionis, nempe interdictum *Unde vi*), sed appellantur *Conditiones ex lege*.

26. *Conditio, et condicere, quid? Conditio ex lege, quid?* — Cæterum *Conditio* quantum ad propositum, aliud non est, quam actio in personam. *Condicere* enim idem est, ac rem suam in judicio petere personam pulsando, sive inquietando, et ipsam dicendo sibi obligatam esse ad aliquid dandum, vel faciendum; quod idem est, ac per actionem personalem aliquid ab eo petere. Unde *conditio*, sicut et *vindicatio* (recentiores legunt *vindicatio*) ad rei recuperationem pertinent: cum hoc tamen discrimine, quod *vindicatio* sit rei singularis atque actio in rem; *conditio* autem sit actio personalis, sive actio in personam. Hinc *Conditio* ex lege idem est, ac personalis actio, quæ ex lege aliqua (istam exprimenso) cuiquam datur ad recuperandam rem, vel ejus possessionem. Et talis est multiplex; prout fatisime declarat Menochius in *Commentariis de Recuperanda possessione*, et Maranta part. IV. *Speculi aurei*, dist. 7. n. 39. ac patet ex dictis num. 3. et seqq. ubi nonnullas conditiones nunc declarandas retulimus. Igitur post interdictum *Unde vi*.

27. *Conditio ex c. Sæpe, de Restit. spoliat., in quo consistat?* — Secundum remedium spoliatorum, seu recuperandæ possessionis habetur *Conditio* ex c. *Sæpe*. 18. de *Restitut. spoliat.*, quod est valde proficuum, et notabile. Siquidem antiquitus per interdictum *Unde vi* non satis consulebatur spoliatis: quando enim res spoliata per spoliatorem in alium translata fuit, sive titulo venditionis, sive donationis, aut alio hujusmodi; tunc possessori dejecto, sive spoliato, non subveniebatur per interdictum *Unde vi*, utpote quod conformiter dictis num. 23. contra tertium possessorem non dabatur: ex quo sæpe contigit, quod prior possessor amisso possessionis commodo, et postmodum deficienti in probatione juris proprietatis, quod est difficillimæ probationis, amiserit totam causam, ipsamque rei proprietatem. Hisce igitur incommodis præcavere volens Romanus Pontifex, una cum concilio generali (hoc est, Lateranensi, sub Innocentio III. celebrato, ac in d. c. *Sæpe*. 18. h. t. relato) sancivit, «Ut si quis de cætero scienter rem talem receperit, cum spoliatori quasi succedat in vitium (eo quod non multum intersit quoad periculum animæ, injuste detinere, ac invadere

alienum contra possessorem hujusmodi), spoliato per restitutionis beneficium succurratur.» Hæc ibi.

28. *Datur contra quemcumque tertium possessorem, qui rem invasam scienter, et a quocumque recepit.* — Ex quibus verbis licet, quod spoliatus *Conditione* d. c. *Sæpe* h. t. agere possit contra quemcumque tertium possessorem, qui rem invasam scienter (hoc est, sciens rem illam fuisse ab alio spoliatam) recepit: adeo, quod ipse cogatur illico rem ablatam restituere, quamvis spoliatus non probaverit ejus proprietatem, sed dumtaxat spoliationem. Et hoc procedit, etiamsi res spoliata per multas manus transierit: ut proinde, quicumque rem raptam, sciens ipsam esse raptam, a quocumque receperit, teneatur hac decretali, licet res illa per mille manus transierit: adhuc enim urget ratio dictæ decretalis, quia videlicet parum interest quoad periculum animæ, injuste detinere, ac alienum rapere. Innocentius cit. c. *Sæpe*, et Abbas ibid. n. 15. h. t.; Vallensis h. t. § 2. n. 2 et 3; Sannig eod. cap. III. nu. 2 et seqq., et alii.

29. *Secus, si ignoranter.* — Additur vero in relata decretali, «scienter.» Nam secus foret dicendum, si quis ignoranter, bona fide, hujusmodi rem spoliatam accepisset; ut notat Glossa ad cit. c. *Sæpe*. §. *Scienter.* et Abbas ibid. n. 12. h. t. Nam textus allatus aperte requirit scientiam: simulque se fundat in periculo animæ, sive peccato recipientis, quod excluditur per bonam fidem, qua quis ignorans recepit alienum.

30. *In dubio præsumitur ignorantia, nisi invasio sit notoria.* — In dubio autem, an quis hoc sciverit, præsumitur ignorantia; eo quod sit factum alienum, circa quod «præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur,» juxta reg. 47. juris in 6. et doctores ibidem. Intellege, nisi invasio notorie facta fuerit: nam tunc præsumitur scientia, nisi probetur ignorantia, arg. cap. 1. de *Postulat. prælat.* Idem dic, si recipiens spoliatum erat spoliatoris vicinus, c. *Quosdam.* et c. *Quanto, de Præsumpt.* aut nisi aliæ hujusmodi conjecturæ concurrant. Abbas in d. c. *Sæpe*. num. 14. h. t.

31. *Conditio ex can. Redintegranda 3. q. 1., declaratur.* — Tertium remedium recuperandæ possessionis, quod a Pragmaticis appellatur «Remedium redintegranda,» habetur *Conditio* ex can. *Redintegranda*. 3. q. 1. ubi spoliatis, vel ejectis episcopis, omnia sive mobilia, sive immobilia, in eodem loco,

ubi sibi erepta fuerunt, redintegrari, sive restitui jubentur; et quidem ante accusationem, adeo ut spoliatus ante factam restitutionem omnium sibi ablatorum accusari non possit, et accusatus in synodo spoliatoribus respondere non teneatur, antequam omnia sibi fuerint restituta. Et hoc procedit a quacumque conditione temporis, aut captivitate, aut dolo, aut violentia majorum, aut per quas-cumque injustas causas, res Ecclesiæ, vel proprias, aut substantias suas perdidisse noscuntur; » prout loquitur textus in cit. c. *Redintegranda*. 3. q. 1.

32. *Extenditur ad quoscumque clericos.* — Atque remedium istud, licet ex professione loquatur de expoliatis, et ejectis episcopis; tamen ob paritatem rationis, favoremque religionis, communiter extenditur ad alios clericos, qui vel suas, vel ecclesiæ suæ res injuste perdidisse noscuntur: et competit ipsis contra quemcumque talium rerum possessorem, sive bona sive mala fide possideat, et sive scienter sive ignoranter, sive cum vitio, sive absque vitio, sive cum titulo, sive sine titulo res illa ad ipsum pervenerit. Unde remedium istud est plenissimum, et magis generale, atque utilius inter omnia remedia possessoria; simulque concurrunt cum aliis remediis possessoriis. Alexander, consil. 91. n. 22. vol. 5; Maranta part. IV *Speculi aurei*, dist. 7. num. 38; Vallensis h. t. § 3. n. 1; Sannig eod. cap. IV. n. 1, et alii. Ac procedit contra quemcumque possessorem, etiam ignorantem, et non vitiosum. Abbas c. *Cum ad sedem*. n. 26. h. t., post Innocentium in c. *Querelam, de Elect.*; Hostiensis in *Summa* h. t. § *A quo peti possit*. n. 6. vers. *Sed conditio*; Bartolus in l. *Rem quæ nobis*. § *Quæro quia prædicta*. ff. de *Acquir. possess.*, et alii. Verum occasione præmissorum.

33. *An etiam competat laicis pro recuperandis rebus profanis? Proponitur sententia negativa, una cum suis rationibus.* — Queritur. I. An remedium *Redintegranda* æque competat laicis pro recuperandis rebus profanis, sicuti clericis pro rebus ecclesiasticis? Resp. in resolutione hujus questionis variare doctores. Et quidem Glossa in c. *Cum ad sedem*, § *Interdictum*, h. t. et Joan. Calderinus ibid. et nonnulli alii apud Menochium *de Recuperanda possessione*, remed. 15. n. 16 et 17 citati, partem negativam tenent. Ratio eorum est, quia in cit. can. *Redintegranda*. 3. q. 1. fit mentio dumtaxat de episcopis, veluti personis ecclesiasticis, et specialiter privilegiatis; sic-

que dispositio illa non videtur extendenda ad laicos, nam a sermonis proprietate non est recedendum, nisi quando manifestum est aliud sensisse testatorem, seu legislatorem, l. *Non aliter*. ff. *de Legatis*. III. Deinde, si remedium can. *Redintegranda*, fuisset tam generale, ac etiam laicis commune, superflua fuisset memorata Decretalis *Sæpe*. h. t. ubi Papa contra rigorem juris civilis induxit novum remedium possessorium: uti patet ex illis verbis, « Sancimus, ut si qui de cætero, » etc., idque in odium ejus, qui scienter successit in vitium spoliationis. Siquidem remedium *Redintegranda*, si etiam ad laicos extenderetur, hoc ipsum præstaret, et quidem uberius, ac alterum in cit. c. *Sæpe*. h. t. noviter inductum, quod proinde superfluum videretur.

34. *Affirmativa sententia est communis, ejusque fundamentum.* — Opposita nihilominus, seu affirmativa sententia, concedens dictum remedium non solum pro rebus clericorum, aut Ecclesiæ, sed etiam pro rebus laicorum, tum immobilibus, tum mobilibus, est communis aliorum, ac servatur in praxi. Ita Menochius d. *remed.* 15. num. 13; Alexander consil. 94. n. 21. vol. 5; Abbas in c. *Cum ad sedem*. n. 27. h. t.; Marant. cit. part. IV. dist. 7. n. 58. et Jason in l. *Rem quæ nobis*. n. 20. ff. *de Acquir. possess.*, allegans insuper pro hac sententia Bartolum, Ludovicum Romanum, et plures alios; idemque tenet Sannig. h. t. cap. iv. num. 2. et Valensis eod. § 3. num. 1, addens, quod remedium istud, utpote plenissimum atque cæteris utilius, hodie sit in frequentissimo usu. Ratio est, quia remedium *Redintegranda* emanavit ad finem corrigendi peccata, seu ne quis ex re aliena injuste locupletaretur cum alterius jactura; ergo, cum hæc ratio æque militet in rebus laicorum, idem erit jus de istis. Generaliter enim jus canonicum, ubi emanat ad finem corrigendi peccata, servandum est etiam in foro civili, arg. cap. ult. *Præscrip.*, et cap. II. *de Jurejurand.* et cap. penult. et ult. *de Secundis nuptiis*, cum similibus.

35. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod hoc remedium competit etiam adversus possidentem bona fide, et cum titulo; in quo tamen casu cessat peccatum, sicque ratio dicti canonis. Non obstat, inquam: quia, postquam reo convento constiterit de mala fide actoris sui, et quod per ipsum alius fuerit spoliatus possessione talis rei, desinit

ejusmodi bona fides, et militat ratio peccati, arg. c. *Licet*. et cap. ult. *de Præscript.*, ac notat Jason loc. cit. n. 22, sicque manet res illa obnoxia restitutioni.

36. *Et respondetur ad rationes sententiæ negativæ.* — Ad rationes in oppositum n. 33 allatas, et quidem, ad primam earum, facilis est responsio. Nam dispositio illa can. *Redintegranda*, ex professo loquens de episcopis, ob identitatem rationis, seu correctionis peccatorum, recte extenditur ad laicos: siquidem, ubi agitur favore animæ, et vitandi peccati causa, conceditur extensio. Bartolus in Auth. *Sacramenta puberum*. n. 49. C. *Si adversus vendit.*, et alii. Idipsum desumitur ex § 1. cit. caus. 3. q. 1, ubi generaliter dicitur, quod restitutio quibuslibet spoliatis danda sit: idque multis postmodum auctoritatibus, ac ipsomet can. *Redintegranda* comprobatur. Accedit, quod si dicatur cit. can. *Redintegranda*. 3. q. 1, continere merum privilegium episcoporum, ac non pati extensionem, sequeretur, dictum remedium solis episcopis competere, non autem clericis inferioribus; utpote cum de spoliatis et ejectis episcopis dumtaxat mentionem faciat, non autem de aliis clericis: hoc autem foret absurdum, et contra adversarios ipsosmet.

37. *Circa remedium spoliatorum ex can. Redintegranda, 3. q. 1. aderat diversitas opinionum; sicque aliud certum ex c. Sæpe, h. t. non superfluit.* — Ad alterum oppositæ sententiæ fundamentum, ac num. 33 relatam, quodque fortius stringit, dici potest. cit. c. *Sæpe* h. t. ex professo agere contra leges civiles, quæ juxta dicta superius n. 23 denegant interdictum *Unde vi* respectu tertii possessoris, etiam scienter detinentis rem ab alio spoliata, juxta quarum tenorem quidam judices ecclesiastici procedebant: unde ad præcavendum tali praxi, et inde consequentibus malis, opus fuit novo jure, et expresso decreto pontificio. Et quamvis spoliati sese juvare potuissent remedio *Redintegranda*, utpote quinquaginta jam annis prius promulgato, ut notat Menochius d. *remed.* 15. num. 6, adhuc tamen alterum non superfluit. Siquidem circa remedium spoliatorum ex c. *Redintegranda*, 3. q. 1. aderat, atque etiamnum adest diversitas opinionum inter doctores, an militet etiam pro laicis, eorumque rebus profanis; neque istis verba illius canonis tam clare patrocinantur, quin aliqui judices, etiam ecclesiastici, oppositam partem fuerint secuti: ac proinde ad retun-

dendam horum praxin, seu foventem peccatum, Pontifex novo atque expresso remedio opus esse censuit. Quia igitur non superfluit remedium clarum et expressum, in concursu alterius non adeo clari, sed dubii: hinc partem non super consensu ut possessorium conditionis ex c. *Sæpe*. h. t. in consensu conditionis ex can. *Redintegranda*. 3. q. 1. utpote etiamnum dubii. Nunc pergendo ad alia,

38. *Condictio ex l. Si quis in tantam, C. Unde vi, adversus quem compelat, quidque conferat? Pœnæ hujus legis locum dumtaxat habent post sententiam judicis.* — Quartum remedium recuperandæ possessionis, habetur conditione ex l. *Si quæ in tantam*. C. *Unde vi*. Et hoc competit spoliato adversus eum, qui propria auctoritate violenter (hoc est, vim inferendo personæ) ingreditur possessionem penes alium constitutam. Nam talis ita violenter ingrediens possessionem alterius, cumprimis hanc alteri restituere tenetur. Deinde, si invasor fuit dominus illius rei, præter possessionem, quam violenter ingressus est, ac proinde restituere cogitur, etiam dominium ejusdem rei amittit: si vero non fuerat dominus, præter possessionem restituendam, etiam æstimationem dictæ rei restituere compellitur. Textus in d. l. *Si quis in tantam*. C. *Unde vi*. Quamvis memorata pœna amissionis domini, aut reddendæ æstimationis rei, locum dumtaxat habeat post sententiam judicis, non ipso jure; ut notat Glossa ibid. §. *Amittat*. Concordat textus in can. *Placuit*. 16. q. 6. et l. *Invasor*. C. *Unde vi*. In quo posteriori loco sic habetur: « Invasor locorum pœna teneatur legitima, si tamen vi loca eadem invasisse constiterit. » Ubi Glossa §. *Legitima*, per pœnam legitimam intelligit eam, quæ est constituta in jam cit. l. *Si quis in tantam*. C. *Unde vi*.

39. *Condictio ex l. Extat, ff. De iis, qui vi, metusve causa, etc., declaratur.* — Quintum remedium recuperandæ possessionis, habetur conditione ex l. *Extat*. ff. *De iis, qui vi metusve causa, etc.*, et l. *Creditoribus*, ff. *Ad legem Juliam de vi privat.*, ubi prioris legis verba repetuntur. Siquidem hoc utroque in loco statuitur, quod creditor vim nullam debitoribus inferat, sed si debitor sponte debitum solvere recuset, hunc in judicio conveniat: alioquin autem creditor, qui per vim, ac propria auctoritate, rem aliquam vel pecuniam sibi debitam acceperit, aut vi illata solvi fecerit, et quasi sibi ipsi jus in rem illam

dicendo possidere cœperit; cogatur rem acceptam restituere, simulque perdat jus crediti, et actionem ad illud. Unde liquet, quod istud recte connumeretur ex parte debitorum inter remedia recuperandæ possessionis, quæ per creditorem vi illata privati sunt. Cæterum etiam hæc pœna privationis juris in rem creditam, non ipso jure, sed mediante sententia judicis inducitur; prout pluribus ostendit Menochius, *remed.* 5. *de Recuperand. possess.* num. 67, quidquid nonnulli contradicant.

40. *Condictio ex l. Invasor, c. Unde vi, explicatur.* — Sextum recuperandæ possessionis remedium, competit conditione ex l. *Invasor*. c. *Unde vi*. Et istud datur non solum contra eum, qui per vim loca aliqua invasisse probatur, juxta dicta num. 38; sed etiam contra eum, qui per errorem occupavit possessionem rei alienæ, aut ob domini incuriam sine dolo id egit, occupando v. g. possessionem forte per multos jam annos vacantem, quam idcirco ut derelictam ingressus est. Nam potest dominus agere conditione ex illa lege, ac tenetur eidem occupator, non obstante suo errore, ac bona fide, restituere possessionem: ita tamen, ut non teneatur pœna legitima, de qua fit mentio in l. *Si quis in tantam*. c. *Unde vi*.

41. *Remedium istud possessorium habet duo specialia; et quæ?* — Porro remedium istud possessorium habet duo specialia. Primo, quia competit ei, qui tempore invasionis non erat possidens, sed ob suam incuriam possessio fuerat vacans. Bartolus ad cit. l. *Invasor*. c. *Unde vi*; Maranta, part. IV. *Speculi aurei*. dist. 7. n. 50, et alii. Secundo, quia prodest ex parte invasoris conventi, ut pœnam legitimam, cæteroquin legibus contra violentos invasores statutam, ac n. 38 explicatam effugiat si vel errorem suum, vel domini incuriam ostenderit. Et merito: nam ubi justa causa excusat a dolo, eadem per consequens excusabit pariter a pœna, arg. l. *Igitur*. §. *Potest*. ff. *de Liberali caus.*; Menochius *de Recuperand. possess.* *remed.* 7. num. 42 et seqq.; Bartolus ubi supra, et alii.

42. *Condictio ex l. ult. c. Unde vi, adversus quem compelat?* — Septimum remedium recuperandæ possessionis habetur conditione ex l. ult. c. *Unde vi*, quæ incipit, « Cum quærebatur. » Et istud competit adversus eum, qui dolose occupavit possessionem rei alienæ vacantem; nam talis possessor ut prædo censetur, et sic non solum rem occupatam, ejus

que possessionem restituere tenetur; sed etiam subiacet pœnis statutis in l. *Si qui in tantam*. c. eod. ac notat Glossa in d. l. ult. §. *Et generali*. et §. *Per ignorantiam c. Unde vi*. Et hoc quidem remedium intra annos triginta datur tam pro re mobili, quam immobili; prout in fine cit. l. ult. subjungitur; et amplius declarat Bartolus ibid., Menochius de *Recuperand. possess. remed.* 43, et Maranta, loc. cit. n. 54.

43. *Et in quo differat a conditione ex l.* Si quis in tantam, c. Unde vi? — Differt autem remedium conditionis ex l. ult. c. *Unde vi*, ab eo, quod habetur conditione ex l. *Si quis in tantam*. c. *Unde vi*. Nam istud requirit violentiam, seu vim factam personæ ipsius possessoris: non illud, utpote quo quis convenitur solum ex eo, quod intraverit possessionem vacantem, sicque nemini vim intulerit.

44. *Et a conditione ex l. Invasor, c. Unde vi* — Differt etiam a conditione ex l. *Invasor*. c. *Unde vi*. Nam istud remedium loquitur non solum de eo, qui per vim invasit rem alterius, sed etiam de occupante possessionem sine dolo, sive per errorem, aut incuriam domini, juxta dicta num. 40. Secus dicendum de conditione ex cit. l. ult. c. eod.; ibi quippe dumtaxat sermo est de eo, qui rem vacantem occupavit dolose, hoc est, bene sciens, quod res illa non sit sua. Et hinc etiam furti actione tenetur ille, qui alienam rem contra domini voluntatem attigerit, si scivit esse alienam, licet ignoraverit, ejus sit; prout loquitur textus in cit. l. ult. c. *Unde vi*. juncta Glossa ibid. §. *Teneatur*. Secus, si credidisset esse suam, l. *Vulgaris*. §. *Sed et si quis*. ff. de *Furtis*.

45. *Aliud remedium recuperandæ possessionis habetur ex officio judicis, estque extraordinarium.* — Octavum remedium recuperandæ possessionis, habetur ex officio judicis. Quod quidem remedium est extraordinarium, ac subsidiarium; et competit imprimis ei, qui non possidet, sed solum detinet, ac postmodum spoliatur: ut commodatarius, depositarius, conductor ad breve tempus, aut qui rei servandæ causa, vel ventris aut dotis nomine est in possessione. Nam quia tales non possident, sed solum detinent, l. *Officium*, ff. de *Rei vindicat.*, hinc, si expellantur a detentione talium rerum, non habent ullum de supra enumeratis remediis possessoris ex defectu possessionis (illa enim remedia solum competunt possidentibus, et postmo-

dum sua possessione exidentibus); ac proinde, sic suadente æquitate, fuit illis indultum in subsidium, ut possint implorare officium judicis ad recuperandam rerum præhabitarum detentionem, a qua ceciderunt. Et hoc patet ex l. *Attibus*, ff. de *Donation.* ubi is, cui facultas inhabitandi cœnaculum donata fuit, si inde expellatur, officio judicis defendendus dicitur, quasi loco possessoris constitutus. Concordat l. *Et non tantum*. juncta Glossa, §. *Facile*, ff. de *Petition. hæredit.*; Menochius *remed.* 47 *Recuperand. possess.* n. 7; Maranta d. part. IV *Speculi aurei*, dist. 7, n. 43, post Bartolum, Decium, Alexandrum, et alios.

46. *Et quibus competat?* — Addit Speculator tit. de *Restitut. spoliat.* n. 12, et post ipsum Card. Tuschus litt. S. concl. 384, n. 16, quod istud remedium ex officio judicis etiam competat spoliato contra legatarium, cui spolians rem violenter possessam legaverat, arg. c. *Quia V. 14.*, de *Judicis*, et c. *Bonæ memoriæ*, 13, de *Appellat.* Insuper, quod istud remedium sit generale, arg. c. *Ex litteris*. De *in integr. restitut.* notat idem Card. Tuschus loc. cit. n. 17, post Lapum allegat. 52, n. 8.

47. *Remedium extraordinarium non debet tribui habenti ordinarium, nisi illud sit pinguis.* — Hoc ultimum tamen intellige in casu, quo aliud remedium non suppetit. Si quidem officium judicis est remedium extraordinarium, et subsidiarium, atque imploratur loco principalis actionis cum alia actio non superest, cap. ult. de *Officio judicis*: et innititur æquitati, ne quis cum alterius jacturam lucrum faciat, l. *Plane*, ff. de *Petition. hæredit.* Atqui, quamdiu quis munitus est communi auxilio, habetque remedium ordinarium, non debet ei tribui extraordinarium, l. *In cause*, § 1, ff. de *Minori*. Dummodo remedium extraordinarium non sit pinguis ordinario: nam tunc illud bene concederetur. Barbosa axiom. 202, n. 2, citans plures alios; estque uberius dictum lib. I, tit. XLI, De *in integrum restitutione*, § 1, n. 4 et 6.

## § III.

## DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM ANTE OMNIA FACIENDA.

48. *Regula est: Spoliatus ante omnia est restituendus.* — Queritur I. An, et qualiter restitutio spoliatorum ante omnia sit fa-

cienda? Resp. I. Regula est, « Spoliatus ante omnia est restituendus. » Textus est in cap. ult. de *Ordine cognit.* et can. *Episcopi*, et can. *Redintegranda*, 3, quæst. 1., et l. I, ff. de *Vi et vi armat.*, cum concordantiis. Siquidem spoliator semper delinquit, donec restituat; atque ideo non auditur, nisi purget vitium. Cardin. Tuschus, litt. S. conclus. 385, n. 5, post Baldum, consil. 217, lib. II, hanc rationem afferens.

49. *Adeo, ut non obstet exceptio proprietatis.* — Resp. II. Adeo verum est, quod spoliatus ante omnia sit restituendus, ut regulariter non obstet exceptio proprietatis, cap. 1 et c. *In litteris*, 5, h. t. et cit. cap. ult. de *Ordin. cognit.* Ac proinde spoliator non audiatur ante factam spoliati restitutionem, licet opponat rei ablatæ proprietatem ad se pertinere, seque offerat ad hanc illico probandam; nisi actor seu spoliatus ultro in hoc consentiat, d. cap. 1, juncta Glossa, §. *Contentionem*, h. t. Sed actore non sic consentiente, restitutio spoliati regulariter (hoc est, exceptis casibus § seq. enumerandis) ante omnia fieri debet: ita tamen, ut causa proprietatis omnino integra servetur, et spoliator post factam restitutionem libere poss. ingredi judicium petitorium super proprietate rei, l. un. C. *Si de momentanea possess. e.c.*, cum concordantiis.

50. *Adeo, ut non obstet exceptio criminis.* — Resp. III. Insuper regula illa locum habet in tantum, ut agenti interdicto *Unde vi*, seu petenti restitutionem spoliati, non obstet exceptio criminis, sed prius cognoscendum sit super spolio: et si istud rite probatum fuerit, restitutio ipsius facienda sit, antequam cognoscatur super crimine. Textus est in c. *Item cum quis*, 6, h. t., addita illa ratione: quia, qui nos spoliavit bonis nostris, præsumitur noster inimicus existere; atque ideo non admittitur ad criminaliter accusandum nos, priusquam spoliati restituerit. Nam inimici accusare non possunt, can. *Accusatores*, cum seqq. 3, q. 5.

51. *Dummodo istud personam spoliati non reddat inhabilem ad agendum: ut excommunicatio.* — Intellige, dummodo non opponatur talis criminis exceptio, quæ personam spoliati reddat inhabilem ad agendum; ut est excommunicatio, can. *Conspiratores*, cum seqq. 3, q. 4 et c. *Intelleximus*, 7, de *Judicis*, cum similibus. Nam tunc agere non potest, neque intentare interdictum *Unde vi*, donec fuerit absolutus. Glossa in c. *Dilectus*, 26, §. *Excommunicationis*, et Felinus ibid. n. 11, de

*Rescriptis*, Abbas d. c. *Item cum quis*, n. 9, h. t.; Pirhing eod. n. 77, Menochius de *Recuperand. possess. remedio* 4, n. 330, citans plures alios.

52. *Vel missio in bannum.* — Hoc ipsum quoque procedit in bannitis, sive proscriptis, et in bannum missis: quia tales, cum in judicio audiri non possint, imo jure occiduntur, non restituuntur ante omnia, si spoliatur. Glossa c. *In litteris*, §. *Prædo*, et Baldus ibid. n. 3, addita illa ratione: quia, qui potest offendi in persona, multo magis in bonis. Abbas cit. n. 9; Menochius, ubi supra, n. 351, citans alios. Et merito, quia talis petitio restitutionis adversaretur juri publico, ac proinde non est concedenda.

53. *Nec ob crimen ejusmodi quis ipso jure privatus, existat tam re., quam possessione ipsius.* — Idem intellige, dummodo non opponatur tale crimen, ex cujus commissione quis ipso jure privatus existit tam re., quam possessione ejus. Quia si ipso jure privatus fuisset et re., et possessione ejus, non diceretur possedisse; sicque frustra ab eo intentaretur interdictum *Unde vi*: nam ad hoc non sufficit probare spoliationem, nisi probet, quis etiam, quod antea possederit. Glossa c. *Ex parte*, 14, §. *Commado*, h. t.; Abbas loc. cit.; Menochius, ubi supra, n. 330, citans alios. Et hoc exemplificari solet in laico petente restitutionem decimarum: siquidem laici decimas ecclesiasticas possidere non possunt, c. *Causam*, 7, de *Præscriptione*. Item in illo, qui repetit beneficium ecclesiasticum, quo asserit se spoliatum; et contra ipsum vicissim excipitur, quod non sit clericus, nec prima tonsura initiatus. Item in eo, cui opponitur crimen hæresis, vel læsæ majestatis: nam ob hæc crimina ipso jure quis privatus existit omnibus bonis suis. Verumtamen, cum in his duobus ultimis casibus, et aliis hujusmodi, requiratur sententia declaratoria judicis super crimine commisso, c. *Cum secundum de hæretic.* in 6., dura videtur hæc exemplificatio, ut inquit Menochius loc. cit. n. 331, nisi intelligatur supposita dicta sententia declaratoria judicis.

54. *Ut spoliatus ante omnia sit restituendus, quid probare debeat?* — Additur notanter n. 50: « Et si istud rite probatum fuerit, » etc. Quia, ut spoliatus ante omnia sit restituendus, tunc is, dum petit restituatur, tenetur rite antea probare spoliatum: ad hoc autem requiritur, ut duo copulative probet, scilicet se possedisse, et se spoliatum fuisse; prout